[F]amator pecunie seruus est mamone. Mamona autem
demonis nomen est qui lucris carnalibus preest et dominatur his
qui diligunt mundum. Ipsi autem amatores mundi non possi
dent diuicias set ipsi a diuiciis possidentur. Nam cum sit unus
uenter et sint reposita tanta que mille uentribus satis sit et
cum sit unum corpus et sint tante uestes que mille hominum
corporibus prebere ualeant indumenta, utique quod uti non potest
custoditur et cui custodiatur omnino nescitur dicente spiritu sancto
per prophetam. Caue conturbaberis omnis homo qui thesaurizat et ignorat
cui congregat ea. Et sed miser et infelix homo qui uult plus aliquid
habere quam quod sufficit. Cum uix hoc possit securus uti quod sufficit
Nascuntur enim in eo calores febrium rigores frigorum et dolores
uarii in cunctis corporum membris. Et neque esca cibari potest
neque poculo saciari ut cognoscat audicias non sibi pecunias per
futuras que reposite custodibus suis sollicitudinem diurnam
et nocturnam inueniunt et nec unius hore spacio quietos
eos aut securos esse paciuntur. ¶
Cor eorum longe fecisti a disciplina propterea non exaltabi
tur. Cor enim si sub disciplina esset superiora non appeteret
adipiscendis bonis transeuntibus non inhereret. Cor igitur eorum sub
disciplina non est recte de illis dicitur propterea non exaltabuntur
quia dum in infimis uoluptatibus terrena bona semper deside
rant cor ad superna gaudia numquam leuant. Sed quia per disciplinam
custodire uitam minime student semper per desideria in imis
iacent et quod est grauius iacendo se erigunt quia de rebus transi
toriis extolluntur. ¶ Innocencius papa fecit hanc oracionem in
remissione peccatorum omnium christianorum ut quicumque dixerit eam in
sacramento misse sciat quod habebit xl dies de indulgencia
omnibus diebus dicet eam. Antiphona. Signatum est et psalmus. Deus misereatur
nostri usque in finem. Signatum totum et pater noster. Antiphona. Fac mecum
domine signum in bono et cetera. Oracio. Deus qui nobis signatis lumine
uultus tui in memoriam tuam ueronice imaginem
sub sudario impresse relinquere uoluisti per passionem [...]ica
et crucem tuam nobis tribue ut ita nunc in terris per [...] cura
speculum in enigmate uenerari adorare ac honorare [...]
ipsam ualeamus ut tunc te facie ad faciem [...]uus.
eum uenientem iudicem super nos securi
uideamus qui uiuis